



# Disputatio juridica inauguralis de solutionibus

<https://hdl.handle.net/1874/347246>

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
**SOLUTIONIBUS.**

*Q V A M,*

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

**D. HERMANNI van HALEN,**

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbiq[ue] Divini ibidem in  
Ecclesiâ Praeconis,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicci consensu, Nobilissimeque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

**P R O G R A D U D O C T O R A T U S**  
Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis  
rite & legitime consequendis,

*Eruditorum examini subjicit*

**J A C O B U S N O I R O T;**  
A. D. . Augsti, hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

---

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi , clc lcc Lxxxix.

*Spectatissimis Prudentissimisque VIRIS,*

D. D. JOHANNI PELS.

D. D. MICHAELI ab AMELAND.

D.D. CORNELIO GRAAFLAND.

Patruis suis & tutoribus dilectissimis debito honore prosequendis , honorandis.

U T E T

*Nobilissimo Eruditissimoque VIRO,*

D.D. JOHANNI GRAAFLAND,

J.U.D. curiæ Amstelodamensis Scabino eruditissimo , avunculo suo omni modo venerando.

N E C N O N

*Amplissimo Consultissimoque VIRO,*

D.D. EVERARDO BOODT , J.U.D.

curiæ Provincialis Ultrajectinæ Senatori gravissimo , amico suo dilectissimo omni honore prosequendo.

*Hanc inauguralem Disputationem*

Offert

JACOBUS NOIROT.

*Anct. & Resp.*



DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS

D E

# SOLUTIONIBUS.



*Iu multumque cogitanti, quod  
potissimum ex vasto Juris  
Corpore caput disquisitioni  
publicæ subjicerem, & se-  
cundum antiquam hujus Aca-  
demiae observantiam ex insti-  
tuto Majorum ultimam ma-  
num adderem, placuit tan-  
dem auctoritate Amplissimæ*

*Facultatis Juridicæ SOLUTIONEM, inter  
modos, quibus ipso jure tollitur obligatio non po-  
stremam feligere, eamque, quantum tempus &  
ingenium sinunt, neglectâ nimirâ accusatione,  
Eruditorum Censuræ exponere. Rem itaque mis-  
so ulteriori præloquio Divina favente Gratia,  
aggrediar.*

A 2

THE.

## 4 DISPUTATIO JURIDICA

### THEISIS I.



Erbum Solutionis generaliter quemvis actum denotat , quo debitor liberatur ab obligacione , qua creditori devinctus est . l. 54. ff. de solutionib. l. 176. ff. de V. S proprie autem & stricte accepto vocabulo . Solutio est modus obligationem dissolvendi , per naturalem & actualem rei debitae p̄fstationem , animo tollendi factam . Post quam definitionem , ut ordine procedat hæc nostra dissertatione , examinandum erit primo , quis recte solvat debitum , cui recte solvatur . & tum quid & quantum solvi possit , quomodo beat fieri solutio , & tandem quis sit effetus solutionis .

#### I I.

Quod ad personas solventes attinet , solvere debitum recte potest , qui liberam rerum suarum habet administrationem . l. 15. ff. b. t. non habet illam pupillus , quia nullam rem alienare potest d. l. 15. & si dederit nummos non sicut accipientis , sed vindicari possunt , si vero consumpti fuerint , liberabitur . l. 14. §. fin. ff. b. t. Minores curatorem habentes l. 3. C. de in integr. rest. min. 25. annis . Fieri ergo solutio regulariter debet per ipsum debitorem , nemo enim liberatur nisi qui juris vinculo ligatus est , quod si is defunctus sit , necessitas solvendi incumbit heredi ejus , quoniam ille in omne jus defunctorum succedit : estque in arbitrio haeredis , primo venienti creditori solvere , & reliqui creditores sibi imputare debent , quod non vigilarint . l. 22. §. 4. C. de Jur. delib.

#### I I I.

Per alium tamen quam per debitorem etiam solvi potest ;  
sive

I N A U G U R A L I P S . C ,

sive id fiat debitore sciente, sive ignorantе, sive invito, *Pr. inst. quib. mod. toll. obligat.* *l. 41. ff. de negot. gest.* propter interessus creditoris, modo nomine debitoris fiat. *l. 5. C. b. t. & l. 19. §. 1. ff. de condic. indeb.* nam alioquin solutio eum non liberaret, & posset, qui suo nomine solvit, quasi ipse debet, solutum repetere, quod non posset, si pro debitore solvisset. *l. 8. 19. §. 1. & l. 44 ff. de condic. indeb.* illi vero, qui pro invito solvit, nulla actio adversus illum, pro quo solvit, competit, propter legem *ult. C. de negot. gest.* nisi ipsi a creditore actio cessa fuerit, secus est in eo, qui pro ignorantе solvit, utpote cui datur actio negotiorum gestorum *l. 43. ff. de negot. gest.* Procuratores etiam solvendi speciale mandatum habentes, vel quibus totorum concessa administratio, recte solvunt. *l. 12. l. 34. §. 3. ff. b. t.* nam qui mandat solvere, ipse solvere videtur. *l. 56. ff. cod.*

I V.

Diximus quis recte solvat, solvitur porro creditori cuicunque *l. 49. ff. b. t.* modo itidem liberam habeat rerum suarum administrationem. *Arg. l. 15. ff. cod.* quare pupillis & adolescentibus non recte solvitur sine tutoris vel curatoris auctoritate, nisi solutionis gratia adjecti sint. *l. 11. ff. b. t.* quodsi autem pupillo solvatur sine tutoris auctoritate, & nummi salvi sint, sive extent, sive in ejus rem utilitatem versi sint; potentem pupillum exceptione doli mali debitor submovebit. *l. 15. l. 47. ff. b. t. §. ult. inst. quib. alienare licet vel non. tutori tamen vel curatori recte solvi potest* *l. 14. §. 1. ff. b. t.* protutori vero negotia gerenti, solvens, non alias consequitur liberationem, quam si in rem pupilli pecunia pervenerit *l. 23 ff. cod.* servis item & filiis fam. qui mutuis dandis exigendisque pecuniis præpositi sunt, recte solvitur *l. 18. l. 51. ff. b. t.* & qui liberam peculii administrationem habent, vel quod iis ex peculio creditum depositum est. *l. 35. ff. b. t.*

## 6 DISPUTATIO JURIDICA

### V.

Nec non procuratori speciale vel generale mandatum ad id habenti *l. 12. princ. ff. b. t.* non tamen ei, qui tantum ad litem vel ad rem vendendam constitutus est. *l. 86. ff. eod. & l. 13. ff. de paet.* in qua tamen lege exceptio proponitur, si scilicet procurator sit in rem suam, ut si vendita ei aut donata sit actio, quoniam tum loco domini est. Falso etiam procuratori, vel illi, cuius mandatum est revocatum, frustra solvit, nisi id bonâ fide debitor ignoraverit. *l. 34. §. 3. ff. b. t.* & *l. 38. §. 1. eod.* ignorantia enim facti alieni non debet nocere debitori *l. 8. ff. de jur. & fact. ignor.* Debitor porro ei, cui creditor suus debet, sive creditoris creditor, ex mandato non tantum, sed & citra illud recte solvit, ita scilicet ut inde ipsis exceptio doli detur. *l. 6. ff. de except. doli. mal.* Quæritur, si quis alii obligationem cesserit, an debitor possit ad huc solvere cedenti, ita, ut cessionario non teneatur? Et existimamus, illum posse, nisi denuntiatum sit ipsis, ne solveret cedenti, vel de cessione certior factus fuerit per *l. 3. C. de novat.* Illud etiam inquiritur, an reo criminis recte solvatur? Et nihil prohibet, recte pecuniam ante condemnationem à debitore solvi, ne alias plerique innocentium necessario sumptu indigeant. *l. 41. ff. b. t.* excepto eo, qui conscientia sceleris profugerit *l. ult. C. de requir. reis.* & majestatis reo. *l. ult. C. ad l. Jul. Maj.*

### V I.

Hactenus dictum, quis recte solvat debitum, & cui recte solvatur, videndum porro quid & quantum solvi possit; solvi autem debet idem quod debetur. *Pr. inst. quib. mod. tol. obligat.* non aliud pro alio invito creditori. *l. 2. §. 1. ff. de reb. credit.* quia obligatio ita dissolvenda ut fuit contracta, *l. 35. ff. de R. f.* quomodo nomen pro pecunia non recte invito datur *l. 16. C. h. t.*

# I N A U G U R A L I S. 7

*b. t.* fecus si consentiat, tunc enim pro pecunia numerata res  
*l. 17. operæ. l. 20. C. b. t.* pecora insolutum dari possunt.  
*l. 9. C. de rescind. vend.* quoniam volenti non sit injuria. In-  
terdum tamen nolenti etiam aliud pro alio solvi potest, si  
scilicet factum sit in obligatione, in qua pro facto potest pre-  
stari, id quod interest *l. 13. in fin. ff. de re judic.* si res debita  
solvi non possit, utpote si perire *l. 68. ff. de Rei Vendit.* item,  
si pecuniâ destituatur debitor, alia bona insolutum offerre  
potest. *Nov. 4. Cap. ult. auth. hoc nisi C. b. t.* & in re alienâ le-  
gatâ, si dominus neget eam vendere, vel immensum præ-  
tium ejus rei petere affirmet, quo casu æstimatio officio ju-  
dicis præstanta. *l. 71. §. 3. ff. de leg. 1.*

## V I I.

Regulariter etiam totum solvi debet non per partes *l. 9. C.*  
*b. t.* quoniam particularis solutio invito creditori obtruden-  
da non est, utpote quæ non minima sæpe habet incommoda  
*l. 3. ff. fam. ercisc.* nisi tamen certis casibus. (1.) Si diversæ  
summæ debeantur *l. final. ff. quib. mod. pig. solv.* (2.) Si ab  
initio pactum intervenerit, de parte solvenda *l. 41. §. 1. ff.*  
*de usur.* vel plures sint unius debitoris hæredes, qui singuli-  
tantum pro ratâ tenentur *l. 3. ff. fam ercisc.* si debitor par-  
tem tantum se debere fateatur, & residui obligatio sit dubia  
*l. 8. ff. si pars heredit. pet.* quo casu tamen partem solvens  
pro parte liberatur. *l. 22. ff. si cert. pet.* Quod si quis ex plu-  
ribus causis diversa debita debens solvat, in arbitrio solven-  
tis est, dicere, quod potius debitum voluerit solutum, & quod  
dixerit, erit solutum, *l. 3. ff. b. t.* unusquisque enim rei sùæ  
modum opponere potest, quem voluerit *d. l. 1.* quod si  
cesset eligere, & nihil exprimat debitor, electio erit pènes cre-  
ditorem *l. 1. C. eod.* ita tamen, ut in id debitum, dum ac-  
cepit, referat, quod ipse, si deberet, soluturus esset; æquis-  
sum enim visum, creditorem ita agere rem debitoris, ut  
suam ageret, *l. 5 ff. b. t.* juxta legem, quod tibi vis fieri  
alteri

## 8 DISPUTATIO JURIDICA

alteri id feceris; quod si forte à neutro dictum sit, in id solutum censemitur, cuius dies venit. *l. 3. §. 1. ff. eod.* & quod gravius est & antiquius *l. 4. 5. 7. & 97. ff. b. t.* gravior autem causa ejus pecunia erit, quæ proprio nomine solvitur, quam quæ alieno *l. 4. ff. b. t.* & quæ pecunia debetur sub fidejusso. *d. l. 4. infin. l. 5. ff. eod.* item quæ sub poena debetur, & quod ex famosa causa, gravius est, quam quæ debetur sine fidejusso. *d. l. 4. 7. l. 97. ff. b. t.* quod si tandem par & dierum & contractuum causa sit, ex omnibus summis pro portione videbitur solutum. *l. 8. ff. eod.*

### V III.

Forma & modus solutionis consistit in reali præstatione ejus quod debetur, ut, cum debitor in conspectu creditoris rem ipsam debitam ejus esse facit, & potestati subjicit *l. 19. ff. b. t.* illud etiam requiritur ut solutio fiat loco convento, non alio, stipulatore invito *l. 9. ff. de eo, quod certo loco.* Excipe, nisi justa sit causa, cur alio loco, quam convento, debitum solvatur, veluti si ad illum locum tutò accedi propter bellum vel pestem non possit. *l. 35. princ. ff. b. t. l. 8. C. eod.* item si debitor & creditor ita convenerint, ut non eo tantum in loco, ubi contraxerunt, verum & alibi sit solvendum *l. 100. ff. b. t.* si debitoris nihil intersit hoc vel illo loco solvat *l. 1. ff. b. tit.* quod si autem locus, quo solvendum sit, in contractu non fuerit adjectus, tum id, quod pondere, numero, & mensura constat, ibi solvi debet, ubi petitur, & peti debet, scilicet ubi reus domicilium habet, vel ubi contractum est. *l. 38. ff. de iudic.* Si species vel genus debeatur, ibi solvi debet, ubi res est, licet alibi sit contractum. *d. l. 38. l. 12. §. 1. ff. de pos.* Quod si dolo malo rei conventi res alio sit translatata, quam ubi prius erat, ibi præstari debet, ubi petitur. *d. l. 38. l. 12. §. 1. ff. de pos.*

## INAUGURALIS.

## IX.

Neque tantum sufficit locus conventus, sed præterea etiam, ut legitima sit solutio, requiritur, ut opportuno & justo tempore sit facta. *l. 39. ff. b. t. l. 32. ff. de usur. l. 122. de verb. obligat.* nam ante præfinitum tempus debitum exigi non potest, neque debitor tenetur solvere, imo ne ipso quidem die, in quo stipulatio facta est, præstare id cogitur, sed totus ille dies arbitrio solventis relinquitur. *§. 2. Inst. de verb. obligat. l. 41. §. 1. l. 42. ff. eod.* Hinc qui certarum nundinorum diebus quid dare promisit, quamdiu vel exiguum tempus ex nundinarum spatio supereft, peti ab eo non potest. *l. 138. princ. ff. eod.* Quæritur autem, an debitor ante diem possit offerre debitum, & solutio sit valida? & distinguendum puto, aut dies in gratiam debitoris est adjectus, quo casu recte solvit. *l. 70. ff. b. t.* ratio est, quoniam quilibet favori suo renunciare potest *l. 137. §. 2. ff. de verb. obligat. l. 17. de R. f.* aut dies in gratiam creditoris est adjectus, hoc casu non recte ante solvit & solutio oblata invito non liberat. *l. 43. §. 2. ff. de legat. 2. l. 15. ff. de ann. leg.* quia nullius suum diminuendum; post diem vero male solvit, uti enim bis dat, qui citè dat, ita minus solvit, qui tardè solvit *l. 12. §. 1. ff. de V. S.* nisi tamen constituto tempore elapsa dilatio quædam à principe concessa sit, & fidejussio idonea super debiti solutione præbeatur. *l. 4. C. de prec. imp. offer.* quod dilationis tempus quatuor mensibus determinatur. *l. 2. & 3. C. de usur. rei judic.*

X.

Solutio itaque debiti loco & tempore opportuno fieri debet, si vero creditor oblatam pecuniam accipere nolit, facculo inclusam obsignare debitor poterit, & obsignatam apud judicem competentem deponere, eodemque modo liberabitur, ac

B

si sol-

10 DISPUTATIO JURIDICA INAUGUR.

Si solvisset. l. 6. 19. C. de usur. l. 9. C. b. t. l. 1. §. 36. ff. deposit. Quod si dubitetur an solutum sit nec ne, tum onus probationis incumbit debitori l. ult. C. b. t. probatur autem solutio ex redditione chirographi, modo debitor probet illud à creditore sibi redditum fuisse l. 2. §. 1. ff. de pact. aliud est, si creditor doceat, chirographum contra voluntatem suam ad debitorem pervenisse l. 15. C. b. t. si nihil de hoc constet, & tamen chirographum apud debitorem inveniatur, præsumtio solutionis per jurandum elidenda à creditore, vel aliquando supplenda à debitore inde inducitur, probatur etiam solutio per testes, aliquando etiam jurandum loco solutionis cedit l. 27. ff. de jurejur. denique per urgentes conjecturas, sive præsumptiones, ut si creditor per plures annos non petierit debitum, item si rationes inter debitorem & creditorem sint susceptæ, de quibus prolixè. Struv. in syntagmate f. C. ad h. t.

X I.

Finis & effectus tandem solutionis est, quod debitor liberetur per solutionem ipso jure ab obligatione pr. inst. quib. mod. toll. obligat. unde creditor ipsi chirographum, utpote solutione jam inefficax factum, reddere tenetur, & si non faciat, ad exhibendum agere, & postea vindicari, vel condicere potest. l. ult. C. b. t. Non solum autem ipse liberatur, verum & fidejussores, ad promissores, & ejusdem obligationis socii. l. 43. ff. b. t. l. 38. §. 2. eod. Similiter fidejussorum solutio reo prodest l. 37. ff. eod. effectus etiam solutionis est, quod transferatur dominium in creditorem, si scilicet debitor sit dominus, alias enim tantum usucapiendi conditio transfertur. Imo ne quidem heres ejus, quod solutum est, revocare potest, quamvis pro debito mancipia dederit, sive rem aliam pro alia, dummodo solvens major 25. annis fuerit l. 10. C. b. t.

A N.



## ANNEXA.

I.

*NEgotiorum gestor tenetur de culpa  
etiam levissima.*

II.

*Impossibilis conditio adjecta in Institu-  
tionibus & legatis pro non scripta  
habetur.*

III.

*Contrahentes in emtione , si erraverint  
in materia , emtio est ipso jure  
nulla.*

IV. Trans-

I V.

Transactio super re certa vel judicata  
facta nullius est momenti.

V.

Qui ob refactionem navis pecuniam cre-  
didiit, illi non competit tacita hypo-  
theca.



... invenimus quod in causa ...  
... et in causa ...

... VI